Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25961
Copyright: Admont, Benediktinerstift

iustus a sanguine abel iusti usque ad sanguinem zacharie. Non ita est ut
omnium generationum precedentium et persecutricium merita generatio
una persoluat. nec enim iustum est ut alter pro altero puniatur pecca
tis. sed cum in die uindicte una queque generatio punita fuerit pro
suis peccatis. de hac una et ipsa generatione uindicatum esse uidetur.
Omnium enim iniquorum et persecutorum et homicidarum a cain usque in
ad finem una generatio est. et si non sint omnes in tempore uno.
omnes filii sunt et persecutoris et homicide illius cain. Ideo et alibi
dicit. Amen dico uobis non transibit generatio ista donec omnia fiant.
id est donec impleatur omne mysterium uocationis sanctorum. Ut puta
fuit cain persecutor abel et mortuus est. facti sunt gygantes perse
quentes filios seth. Ecce cain transiit. sed generatio ipsa stetit.
Perierunt gygantes in diluuio. sed nati sunt ex cham chananei et
ceteri gentes ex eo. persequentes filios sem. Gygantes transierunt.
sed generatio ipsa stetit secundum animam. Chananei de generatione eorum
erant iniquorum qui fuerant ante diluuium. Interempti sunt cha
nanei ex parte a filiis israhel. Sicut legimus ex eis facti sunt alienige
ne. qui persequerentur iudeos. Ecce et illi transierunt. sed generatio
eorum stetit. Postmodum autem conuersi sunt gentes quedam ad christum.
Surrexerunt perfidi iudei post christum aduersus christianos. ipsam ha
bentes generationem quantum ad animam quam habuerunt gen
tes ille que prius persequebantur iudeos. Deinde gentiles quidem
crediderunt omnes. iudei autem defecerunt qui persequebantur ecclesiam.
et ex ipsa ecclesia surrexerunt heretici. qui persequebantur ecclesiam.
Ecce iudei et gentes persecutores transierunt. sed generatio ipsa stat.
Nam de generatione ipsorum iudeorum et gentilium sunt heretici isti.
ideo et mores et perfidiam secuntur illorum sicut diximus supra. Postmo
dum autem et heretici transituri sunt ut non sint secundum quod modo esse
uidentur et futuri sunt gentiles et populi antichristi. et transeuntibus
istis generatio rectorum stabit in illis. De generatione enim iustorum erunt
etiam illi qui fuerunt. et impletur quod dictum est. Non transibit